



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Praefatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

æquali diligentia perseverare in continua vtriusque hominis custodia, ne vllam tibi des occasionem periculi, qua gratia Dei in te impediatur, & manere in filiali timore, humilitate, amore, & Christiana simplicitate. Imitari quoque me Iesum sponsum tuum stude ex omnibus viribus tuis, in humilitate & mansuetudine (in quibus errare non potes) & attendere in omni loco & tempore me imaginem & exemplar tuum, & quam familis siue dissimilis mihi fueris in virtutibus, in quocunque loco fueris contemplari me Dominum Iesum, quasi videres me corporaliter tibi præsentem, quemadmodum beatissima virgo Maria mater mea me cōtēplatur in omnibus moribus & virtutibus meis, ad imitandum me mihiq; fideli corde & perfecto amore feruendum cum beata Maria matre mea. In hisce nouem institutionibus quisquis sese diligenter exercuerit, maturè & faciliter in me viuet, mihiq; vnietur, & nouem angelorum choris adiungetur, liberq; manens ab omnibus rebus transitorijs, continuo desiderio ad cœlestem Hierusalcm suspirabit.

## D. IOANNIS IVSTI LANSPERGII, Carthusiani, in institutionem succinctam Christianam, & de Morte & casibus eius.

### P R A E F A T I O.



Oli metuere iudicium mortis. Memento quæ ante te fuerunt, & post te ventura sunt. Ecclesiastici XXI. Sicut nihil est quod amorem mundi tibi magis reddere possit insipidum ð anima, quodq; aded sui & omnium creaturarum tibi contemptum inducat felicem, quomodo breuissima vita tua mortisq; certissima (qua omnes conatus, omnes honores, omnes voluptates, cogitatus, desideria, ac gaudia tua vniuersa peribunt) consideratio: ita nihil est quod amantem animam maiori afficiat gaudio: quam quod credat speretq; se mihi sociari mihiq; coniungi, & in me absorberi: vbi nulla post hac sit offensa, nullum delictum, nulla separatio, nullum periculũ, nihil timoris, nihil doloris, vbi charitate plena semper me laudet, semper magnificet, perfectissime mihi obediens, perfectissime placens, sitq; mecum, vbi nihil desideret, nihil amet, nihil sentiat aliud præterquam me, vbi tota me possideat, & à me tota possideatur. Hac quia tibi contingere stabiliter in hac vita non possunt, sed tunc solum, quando fueris mecum in regno meo, quando videlicet omnia desideria tua satiabuntur, & laudandi & amandi me, & quãdo ego ero omnia in omnibus. Idcirco iuste petis, iusteq; ex toto corde desideras in oratione quã tibi tradidi: Adueniat regnum tuum: Itaque si me rectè amares filia, si fortiter, si est uanter ad me anhelares, toto corde hoc regnum, hoc est, hunc statum, desiderares, ad hunc suspirans arares videlicet, vt adveniret regnum meum, in quo mihi amore suauissimo vnireris. Tota in me liquefacta & alioq; soluta. Et quia, vt dixi, hoc non fiet nisi post mortem, decreui mecum ð filia, quandam succinctam institutionem siue breue quoddam, bene feliciterq; moriendi compendium tibi prescribere: simul ac demonstrare, quid ipsa mors sit, & vnde orta, quomodoq; per mortem meam destructa: Item quæ vitanda, quæue agenda tibi sint, vt post huius calamitosa vita arumnas, læta ad conspectum mee diuinitatis admitti possis, multaq; alia omnibus Christianis admodum sicut necessaria, si bene, si secure, si religiose denique & Christianè ex hac vita excedere exoptent.